DIGITAL SOURCES *Junius Institute for Digital Reformation Research*

Disputatio philosophica, ex theologia naturali, de providentia Dei actuali

Johann Duising (praes.)
Johann Wilhelm Krafft (resp.)

Marburg: Philipp Casimir Müller, 1717

Private Collection
http://www.juniusinstitute.org/sources/DuisingJ_disp_1717/

Terms and conditions
This PDF may be used for non-commercial research and private purposes according to the Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Unported License. Redistribution is permitted provided that these terms and conditions remain as part of the PDF file. For further questions, contact info@juniusinstitute.org.

The Junius Institute
The Junius Institute for Digital Reformation Research of Calvin Theological Seminary is a forum for the promotion of research into the Reformation and post-Reformation eras, particularly through the use and development of digital tools and sources.

http://www.juniusinstitute.org

62

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
EX
THEOLOGIA NATVRALI,
DE
PROVIDENTIA DEI ACTVALI,
Quam, ut vocant, PRO LOCO.
IN PANEGYRI SENATVS ACADEMI
MAGNIFICI RECTORIS ET EXCELLENTISS.
OMNIVM FACVLTATVM PROFESSORVM, COL-
LEGARVM HONORATISSORVM,
PLACIDÆ DISQUISITIONI,
P. P.

JOHANNES DVISING
LOG. & METAPH. PROF. ORD.
RESPONDENTE,
JOHANNE WILHELMO KRAFF
PHIL. & THEOL. STVDIOSO

IN AVDITORIO MAJORI AD LANVM
H. S.
a. d. XXV. Novembr. A. cIↃ IↃ ccXVII.

MARBVRGI CATTORVM
Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, *Acad. Typogr.*

Digitized by J. Junius Institute for Renaissance Research

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO,

CAROLO,

HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDIÆ,
COMITI CATTIMELIBOCI,
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ,
NIDDÆ ET SCHAVMBVRGI

&c. &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO

MEO CLEMENTISSIMO

Digitized by JUNIUS INSTITUTE
for Digital Reformation Research

SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS AC DOMINE *DOMINE CLEMENTISSIME.*

AD Excelſa SERENITATIS TVÆ limina tenues haſce pagellas reponere, AVGVSTOque NOMINI TVO inſcribere audeo. Permittere id SVMMAM illam TVAM, quâ fulges, CLEMENTIAM, mihi perſuadeo, quam ut eminere in TE omnes ſciunt, ita ego eandem tacito cultu & affectu ſupplex veneror. Poſtulare verò, à me gratæ mentis ſubjectionisque officium, humillime agnoſco. Exhibent illæ laborum meorum quos CLEMENTISSIME, mihi in ſtudioſæ Juventutis uſum in ALMA TVA UVIVERSITATE, bonarum artium ſacrario, demandaſti, ſpecimen, quorum rationem TIBI poſt DEVM debeo, quam ut bonâ conſcientiâ, quandocunque etiam exigatur, reddere valeam, & huc uſque pro donis diviuitus mihi conceſſis annixus ſum, & poſthac ſub divinâ Gratia pro virili, id eſt, aſſiduè & quàm impenſiſſimè connitar. Sunt illæ ptæterea animi mei devinctiſſimi Tabula Votiva: ſubmiſſiſſimi cultûs, pietatis, fidei atque obſequii mei Monimentum: pro maximis verò beneficiis, quibus hucuſque SERENITATI TVÆ me GRATIOSISSIME ornare placuit, quantulumcunque Hoſtimentum. Aliam remunerandi viccm Beatiſſimæ Tuæ

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Research

Fortunæ, AVGVSTE, nec exigunt, neque humilis meæ conditionis ſuppeditat tenuitas. Memoria verò illorum Summorum Beneficiorum, ut penes me nunquam erit moritura; ſic ad ſumma quæque inter ſecunda ſubditorum atque bonorum omnium omina & certantia vota TIBI precanda, nuncquam non excitabit, imò inflammabit animum TIBI devotiſſimum. Servet Deus T.O.M. TE SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, Patriæ Patrem Mitiſſimum, Pietatis & Religionis Aſſertorem & Vindicem Fortiſſimum, Academiæ hujus Statorem & Nutritium Munificentiſſimum, Subditorum Delicias, Exterorum Amorem, Hoſtium Terrorem, Juſtitiæ Præſidem, Bonorumque omnium grande Columen atque Tutamen. Servet DEVS atque tueatur AVGVSTAM DOMVM HASSIACAM, atque univerſam FAMILIAM PRINCIPALEM, EAMque cumulet omnis generis Felicitate & Gloria. Sit ILLA & perſtet uſque Rerum noſtrarum & Præſentium PRÆSIDIVM, & Futurarum SOLATIVM. Hæc ut AVDIAT, hæc ut FACIAT SVMMVM NVMEN, conceptiſſimum meum eſt votum.

SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS
CLEMENTISSIME DOMINE

SERENISSIMI NOMINIS TVI

Subjectiſſimus ac devotiſſimus
Cultor

JOHANNES PULSING.

Digitized by JUNIUS INSTITUTE

Σ. Θ.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA DE PROVIDENTIA DEI ACTVALI.

§. I.

CUm Menti perfectiſſimæ ex nulla naturæ neceſſitate, ſed ex mera libertate & liberalitate extra ſe prodire, divitiasque gloriæ ſuæ oſtendere & manifeſtare placuerit, non potuit non aliter convenienter ſuæ decentiæ, quàm iſtiuſmodi creaturas producere, quæ aptæ natæ forent, illisque facultatibus inſtructæ, ut Dei perfectiones & virtutes cognoſcere, æſtimare, amare, colere, celebrare, & ita uno verbo, Deum glorificare poſſent. Innoteſcere adeoque Deus creaturæ debebat, idque vel per internam vel per externam revelationem, Utrumque Deus pro ſumma ſua ſapientia benigniſſime præſtitit, ut ita ſe non tantum nemini inteſtatum relinqueret, ſed & omnem hominem veritatem in injuſtitia detinentem conſtitueret ἀναπολόγητον. Prius quidem, quando omnium mentibus ideam Sui Ipſius, γνωστὸν illud

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

Deus, lucernam Domini, ideas rerum & cum iis inſeparabiliter conjuncta axiomata communia indidit; ex quibus tanquam certis & indubitatis principiis non tantum quòd, qualisque Deus ſit, ſed & quid conveniat naturæ ac perfectionibus Dei & ſui, aliarumque rerum ad Deum χέσει, quidque adeo verum vel falſum bonum vel malum, faciendum omittendumve ſit, ratiocinando intelligere & dijudicare, ex ſententia Dei ad ejusque gloriam actiones ſuas inſtituere, de iis judicare & ſe ipſos propter eas vel abſolvere vel condemnare Dei nomine poſſent. Poſterius verò, quando ea non tantum, quæ omnium cordibus inſcripſerat, per Revelationem externam repetiit & confirmavit, ſed & in ea ſpecialius divitias gratiæ ſuæ hominipeccatori, viamque ad redeundum cum Deo in gratiam gratioſiſſime propoſuit. Cùm verò DEUS non poſſit ſeſe aliter revelare convenienter ſuæ Decentiæ & Sanctitati, quàm qualis revera eſt, Optimus & Sanctiſſimus; utrumque hoc Dei alloquium pro vero accipiendum, propter ſummam ſcilicet illius, qui ſeipſum abnegare non poteſt, veracitatem & ſummam quâ pollet, præcipiendi auctoritatem. Quid ergò magis creaturæ Rationalis officio conveniens exiſtimamus, quàm duplex hoc Dei munus non contemnere, ſed humili & grato animo utrumque amplecti, & attente auſcultare quid de Se ipſo ſuaque voluntate, quæ unica eſt & ſola præcipiendorum & agendorum norma & regula, vel per rationem vel per revelationem manifeſtare voluerit, ut ſenſus de Deo non tantum ſit tanto magis caſtus, ſed & cultus eidem exhibendus ſit quàm maxime ad voluntatem ejuſdem compoſitus. Fatemur quidem intellectûs noſtri ad omne verum & bonum cognoſcendum per peccatum originale contractam caliginem, voluntatisque ad omne verum & bonum decenter æſtumandum & amandum ineptitudinem, mentisque adeò noſtræ quoad habitum, actus, uſum

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

uſum totalem corruptionem; cum tamen per divinam gratiam ea vivamus tempora, ut revelatione externa adjutis, ea, quæ aliàs nativis oculis ſaltem non tam diſtincte cernere valebamus, in ſerena luce iterum collocentur, & quaſi poſtliminio reducantur, non inutilem nos, eruendo etiam ex illo fonte veritatem, collocaturos operam exiſtimamus, ut ita veritas ex binorum teſtium ore tantò magis eluceſcat & confirmetur. Quæ de Se ipſo ſuisque operibus ſummum Numen interne i. e. per Rationem voluerit manifeſtare in Theologia Naturali plenius exponuntur, idoneis argumentis confirmantur & ab adverſariorum calumniis vindicantur; Unde ſimul ſtudii hujus dignitas, utilitas, neceſſitas, auctoritas patent. Atque inde ſub divina gratia de Sapientiſſimo & Potentiſſimo opere externo Providentiæ Divinæ, quantum oculorum noſtrorum acies roborata permittit, ex principiis inſitis plenius agere apud animum noſtrum conſtituimus. Faxit Deus, ut tanto opere digna cogitemus & calamo exprimamus.

§. II.

Modum omnem Providentiæ Divinæ prout ſe in Deo habet, cùm finitæ creaturæ ex trito canone non ſit comprehendere, ſed ejus conditionem ſuperet, ſufficiet nobis tantum ea notâſſe, quæ clare & diſtincte de hoc negotio percipimus, contenti ſi τὸ ὅτι, quamvis non in omnibus τὸ πῶς aſſequi valeamus. Ordinem autem non alium, quam quem ipſa natura præſcribit, ſequemur. Ut in genere I. quid Providentia ac quòd ſit II. ſpecialius Providentiæ Divinæ actus celebriores ſecundum noſtrum concipiendi modum exponamus & demonſtremus. III. Objecta ejuſdem ſigillatim enarremus, quibus denique IV. uſum hujus doctrinæ varium ſubjiciemus. Exequemur verò omnia ratione inſtituti noſtri breviſſimis, ita ut omnia omnino, quæ produci poſſent, argumenta in medium non ſimus prolaturi, ſed tantum ea.

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

quæ primaria sunt & matrices reliquorum constituunt. Testimoniis ethnicorum etiam, quæ ex omni antiquitate desumi possent, non agemus: consulat, si quis ejusmodi auctoritatibus delectatur Florilegia A. C. & diligentissimum collectorem eorundem Pfannerum in Theol. Gent. pur.

§. III.

I. Quod (a) attinet vocem Providentiæ, illa vel ad intellectum divinum vel ad voluntatem divinam, eandemque vel decernentem vel efficientem sub distinctis suis considerationibus referri solet, unde etiam modò pro Præscientia, modò pro Decreto, modò pro hujus Executione, non tam in toto hoc, quâ patet, Universo constituendo, quam eodem conservando & cum maximè juxta sapientissimas æquè ac sanctissimas leges gubernando, adhiberi solet. Nobis, quibus communiorem significationem premere volupe est, designat *perfectissimam illam, æternam ac potentissimam Divinæ Voluntatis actionem, qua Deus omnium rerum extra se existentium curam habet, illis in omnibus omnino prospicit, omniaque pro absoluto & sanctissimo beneplaciti sui decreto regit & administrat*, quæ providentia Actualis in oppositione ad Ordinativam adpellari consuevit.

§. IV.

Atque illam quidem (b) neque Deum vi suarum perfectionum, Bonitatis cum primis, Sanctitatis, Decentiæ ac ἀνυπευθύνε illius, quod Creationis jure in omnia obtinet, imperii abjicere, neque res finitas vi suæ indigentiæ atque omnimodæ dependentiæ repudiare posse, manifestum fiet, si ad naturas illorum oculos conferamus. (a) Ad Dei ideam si attendimus, nobis repræsentatur Mens Perfectissima, Infinita, A se, Independens, Æterna, summe Sapiens, summe Potens, Αυτοδεσποτης omnium liberrima causa, à cujus beneplacito omnia, quæcunque sunt & existunt, secundum suas facultates aut modos

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

modos ſunt ſuſpenſa, Sanctiſſima agens omnia ad ſui nominis gloriam, ſuarumque virtutum & perfectionum manifeſtationem. Quot virtutes heîc enarratæ, totidem Divinæ Providentiæ argumenta exiſtunt, ut qui illam auſit negare, Deum ipſum tollat; hinc veteribus Πρόνοια idem, quod Deus, quia alterum ſine altero concipi non poteſt. *Plato* l. 10. *de Legibus*, & *Auguſtinus* l. 4. *de Geneſi ad Literam.* Quis verò in animum poteſt inducere cogitare quicquam, etiamſi minimum, præter ejus decretum exiſtere, aut præter ejus voluntatem operari, ejusque ſcientiam latere poſſe; aut denique quicquam fieri, in quo ſumma Dei Sapientia, Potentia, Sanctitas non exſplendeſcant? quodque ad manifeſtationem divinarum perfectionum non tanquam ad ſcopum collineet atque dirigatur? næ! ille, qui ita inſtituit cogitare, ut cum Mornæo loquar, *maximam Deo infert contumeliam, quatenus oculum illi ſine viſu, aurem ſine auditu, potentiam ſine bonitate, Deitatem denique ſine divinitate tribuit.* (β) Rerum extra Deum exiſtentium naturas ſigillatim ſi conſideremus, quis non animadvertit eaſdem eſſe finitas, & quis adeo ſuſque deque habuit experientiam, ut non quotidie obſervaverit eas revera eſſe imperfectas, eas non eſſe à ſe, eſſe ab alio, exiſtendi initium habere, nec ſibi ſufficere, ut porro exiſtant; Uno verbo, dependentes & indigentes omnium? Quot ſenſus indigentiæ, totidem divinæ omniſufficientiæ benignæque curæ in nos ſingulis momentis deſtillantis argumenta & teſtimonia, id enim, quod in nobis eſt dimenſum, in Deo eſt immenſum. Quis verò tam ſui ignarus adeo animum depoſuiſſe, niſi forte in ſomno, inveniri poteſt, qui hæc alterius dona, nec ſi ſuffulciantur, momento citius ad nihil relabentia, humillima mente non agnoſcat & veneretur? (γ) Res creatas inter ſe conjunctas & unum aliquod ſyſtema componentes ſi intueamur, elegantiſſimam & ſapientiſſimam

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

ſecundum ſtatas leges diſpoſitionem, harmoniam nexumque non interruptum quis non cum ſtupore agnoſcat? Materiales res aguntur ſine conſcientia & in eodem ordine perſeverant. Motus in illis, ex cujus diverſitate omnis elegantia, ne quidem eſt de illarum eſſentia. Rationales res agunt cum conſcientia, verùm etiamſi omnes conſpirent, nihil ibi nec mutare, nec aliter velle cum intima conſcientia experiuntur. Mentes & corpora inter ſe conjuncta agunt in ſe invicem convenienter ſuæ naturæ: per corpora propria verò agunt mentes in alia corpora: Modum omnem vix habemus ſatis exploratum; Unum agit in aliud & eſt propter aliud, unum verò ad aliud ſe nec ordinavit nec diſpoſuit; Id itaque, quod mirabili ratione conſtat, conſilio majori inſtructum ſit atque paratum oportet. Quod verò cauſis finitis nequit tribui & tamen ſumma ratione conſtat, procul dubio etiam eidem acceptum ferendum eſt. Major itaque vis ſubeſt, quæ omnia illa, ſive illorum magnitudinem, motum, diſpoſitionem, conſtantiam, utilitatem, pulchritudinem, temperationem ſpectemus, ita ordinavit, ita diſpoſuit, ita dirigit, ut, quocunque oculos convertamus, cauſam ſapientiſſimam & potentiſſimam, providum & munificum omnium Rectorem manibus quaſi palpemus. Latius ſingula exequi nolumus, cùm tanquam veritates primæ ab omnibus facile admittantur; Ad ſpecialia verò progredi, chartæ prohibet anguſtia. Id itaque quod perfectionibus divinis convenit, quod ab illis ſeparari ſine injuria, quod naturis rerum finitarum tribui nequit, procul dubio DEO tribuendum, J. q. e. d.

§. V.

II. Ut verò plenius nobis potentiſſimam hanc DEI adminiſtrationem, quantum mentis humanæ acies permittit, repræſentemus, neque nimio fulgore mens noſtra obtundatur,

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

tundatur, intueamur partitim singula, & quæ in Deo simplicissimo modo se habent, cogitatione convenienter finitæ nostræ naturæ dividamus, sigillatim considerando præcipuas & distinctas effectuum differentias, ad quas una eademque perfectissima & potentissima Dei voluntas relata, res extra Se dicitur vel A. Conservare: vel B. cum earum actionibus Concurrere: vel C. easdem ad certos fines Dirigere, prout scilicet res finitæ concipiuntur in Existentia sua vel pergere, vel operari, vel ad certos fines dirigi, ut, quam efficax in his omnibus sit Divina Providentia eluceſcat.

§. VI.

Binos quidem alii Divinæ Providentiæ concipiunt actus, Conservationem scilicet & Gubernationem; verum illi Concursum propterea non excludunt aut negant, sed sub alterutro memoratorum includunt. Res etiam eodem redit, cum una eademque sit perfectissima Dei voluntas quæ ad distinctas res relata distinctas quoque tantùm sortitur denominationes.

§. VII.

A. Primò itaque si consideremus res, quæ per summam Dei potentiam voluntatisque perfectissimæ jussionem à non Esse ad τὸ Esse transierunt, in sua Existentia pergere, illarum ulterius Esse sub Durationis nomine concipimus: qui effectus necessario Causam, uti existere incipiens Creantem, ita in Existentia pergens & perseverans Conservantem vel potius, ut rectius loquamur, Servantem postulat. Est itaque Conservatio vel Servatio *potentissima illa Divinæ Voluntatis actio, quâ efficit ut res præter Deum existentes cum omnibus suis facultatibus proprietatibusque post primum, quo existere cœperunt, momentum porro sint sive in existendo perseverent*, quæ si momento cessaret, Res creata ad maternum nihil relaberetur.

§. VIII.

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

§. VIII.

Atque hanc Deo soli & uni omnino tribuendam evincimus tum ex natura Durationis tum ex natura Conservationis, tum ex naturis ipsarum rerum conservandarum. (a) Durationis natura talis est, ut ejus partes nullo necessitatis glutine ad hoc vel aliud temporis spatium conjunctæ sint, neque etiam à se invicem necessariò pendeant: quod adeoque res jam existant, non infert eaidem post plura aut pauciora temporis intervalla adhuc extituras, quemadmodum una pars corporis non pendet ab alia, nec pars motus ab alia. Cum itaque ex existentia rerum hoc momento non sequatur necessario existentia sequenti momento, hinc eadem semper requiritur causæ primæ voluntas, per quam res, ut à nihilo productæ, ita & in suo esse perseverent. Et quemadmodum, ut primo momento existerent, ex illarum placito non dependebat, ita quoque nec ex illarum placito pendet ulterior existentia, sed causâ eadem indigent, quæ id, quod semel benigne largita est, continuo suffulciat & quocunque existentiæ ulterioris momento quasi reproducat. (b) Naturam Conservationis si intueamur, illam animadvertimus non nisi ratione differre à Creatione, & proinde æquè infinitam virtutem postulare. Conservationem si referamus ad DEUM, una eademque est efficacissima, continua, nec interrupta voluntatis Divinæ actio, ut cum tempore res existant, & in tempore existere pergant seu perseverent. *Herebord. Meletem.* Conservatio nihil addit Creationi nisi permansionem in influxu inchoato. Hæc permansio non est nova entitas, alioqui tot novæ entitates & conservationes erunt fingendæ, quot sunt momenta, quibus ea conservantur, at hoc absurdum. Si verò eandem referamus ad Res Creatas, una eademque res est, sive consideretur in primo Sui esse, ita ut dicatur Existere, (quo respectu dicitur Creari) sive consideretur in sequentibus momentis

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

mentis sui esse, ut dicatur Durare (quo respectu dicitur Conservari) unde etiam a Theologis æque ac Philosophis Reproductio seu continuata Creatio adpellari consuevit. Optume Claubergius in Paraphrasi ad Medit. III. Cartesii: *Qui attendit, quod durare nihil aliud sit, quàm porro Esse, evidenter agnoscet eadem plane vi & actione opus esse, ad rem quamlibet singulis momentis, quibus durat conservandam, qua opus esset ad eandem primò creandam, si nondum existeret. Quæcunque enim causa rei alicui suum Esse primo momento omnino (totaliter vulgo dicunt) confert, illa nihil amplius præstat, quàm quæ idem illud Esse eidem rei omnino confert momento secundo, sive quæ illud porrò confert: Ac proinde inter ea, quæ lumine naturali manifesta sunt, hoc etiam referendum est, quod Conservatio, quæ rem facit porro Esse, à Creatione, quæ rem facit primò Esse, non nisi diversa consideratione mentis nostræ distinguatur.* A creatione verò, quæ solius DEI character est, cùm non differat nisi ratione Conservatio, procul dubio etiam infinitam virtutem supponit. (C) Ipsam rerum extra Deum existentium naturam si attendimus, illam deprehendimus talem, ut ne momento quidem sua vi atque potentia subsistere concipi possit. Et quidem cum illarum Existentia non sit necessaria, nec fluat ex illarum Essentia, illarum quoque Existentia ulterior, postquam creatæ sunt non magis ex earum Essentia sequi potest, quàm id fiebat, antequam creatæ essent, aliàs enim quod in primo Esse dependebat, in ulteriori Esse conciperetur independens, quod ab omni ratione alienum est. Et quidem (α) quod rebus materialibus ejusmodi potentia non possit tribui cùm neque sint necessario, neque etiam in sua existentia ulteriori agant ex interno agendi principio cum conscientia, atque ulterius esse desiderent, non tantum clarum, sed & apud

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

omnes in confesso esse existimamus. Mentibus finitis id tribuere velle experientiæ quotidianæ & conscientiæ propriæ quoque repugnat Per eandem itaque voluntatem, per quam substantiam habere cæperunt, per eandem quoque cum suis proprietatibus conservantur, hoc est, Infinitam. (β) Rationales res si consideremus, omnesque illarum facultates probe si excutiamus (a) nihil quoque tale licet invenire; id enim in illis si ab illis fieret, cum illarum conscientia fieret, quod nemo quoque, cui sanum est sinciput, admittet; Nihilominus tamen effectus hujus aliqua est causa, cujus cùm mens propria non sit, causa alia investiganda erit. Si verò mens, quæ sibi ipsi est proxima, non est ejusdem causa, multo minus id ipsum aliis mentibus, cùm & illæ hanc potentiam ignorent & similem habeant naturam, tribui potest. (b) Si finitarum mentium vis eò assurgeret, ut sibi ad porrò existendum sufficerent, haud dubie etiam omnes perfectiones, quas sibi deesse cum dolore sentiunt, dare sibi possent, cùm sc. levioris negotii, substantiæ attributa addere, quàm ipsam quoad Essentiam & Existentiam vel è nihilo producere, vel ne in nihilum relabatur, præmunire; hoc ipsum verò eas præstare non posse multifariæ earum imperfectiones abunde testantur; si enim possent, dudum illas sibi dedissent, cùm naturali impetu ad majorem perfectionem aspirent, imò quàm beatissimæ esse desiderent: Si adeò destituuntur vi minore, majore careant necesse est. (c) Si mens ne suas cogitationes quidem, quamvis enixe conetur, potest conservare, multo minus Se ipsam seu suam substantiam. Si opera sua ne quidem valet conservare, multo minus substantiam suam. (d) Quod si res concipiatur momento Esse vi suæ essentiæ, illud omnino semper fuit & erit. Quicquid enim tam positivæ perfectionis est, ut vi suæ essentiæ vel ad momentum sit, id eadem vi semper esse debebit, adeò ut nec

produci

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

produci potuerit nec annihilari possit & ita hæc ipsa res independens & Deus erit. Quicquid ergò Deus non est, à Deo tum secundum suum Esse, tum secundum suum ulterius Esse dependet. Duratio rerum adeoque cùm non sit necessaria, sed contingens, eademque cum sit opus infinitæ potentiæ nec ulli rei finitæ cum ratione, ipsa experientia teste, tribui possit, Soli Deo est tribuenda; i. q. e. d.

§. IX.

(B) Secundus divinæ Providentiæ actus, qui creaturarum operationes spectat, est Concursus vel Cooperatio; Quæ voces tamen non ita accipiendæ sunt, ac si Deum & creaturas tanquam causas socias, inter quas operæ essent distributæ concipiamus, sed tanquam talem actum, qui præcursum, prædeterminationem vel potius operationem in ipsis creaturis (unde etiam aliis Operationis nomine venit) designet, ita tamen ut totus effectus & à causa prima & à causa secunda dependeat & producatur. *Est adeoque efficacissima illa Divinæ Voluntatis actio, qua τὸ agere & operari omnium causarum secundarum producit & per eas quoscunque effectus, quos sua actione causæ secundæ producunt.* Ita ut totus effectus ab actione aliqua procedens, totus & immediatè sit à Deo, tanquam causa Prima, ejusdemque voluntate infinita, qua creaturarum operationem pro illarum natura & conditione efficit & ad operationem ipsum effectum sistit. Totus itidem & immediatè à creatura tanquam causa secunda, ejusque potentia & virtute finita, majore vel minore, adeò ut causæ secundæ rationales ex interno agendi principio actiones suas meditentur, decernant, inchoent, pergant, intermittant, absolvant, quia Deus Virtute suâ infinita vult, ut hoc agant vel non agant, ita vel aliter agant. &c.

Digitized by Junius Institute for Digital Reformation Research

§. X.

Efficaciſſima divinæ Voluntatis aſſeritur Actio, ut non concipiatur tantum tanquam ſuppeditatio virium vel illarum conſervatio vel nuda agendi permiſſio, vel tanquam influxus moralis, generalis, indeterminatus, inefficax, ſed maxime poſitivus, phyſicus. hyperphyſicus, ſpecialis, prædeterminans, immediatus immediatione tum virtutis tum ſuppoſiti, prævius & ſimultaneus, quo creaturæ prædeterminantur, fortiter excitantur ad agendum & ad certum objectum applicantur.

§ XI.

Atque hanc (a) à parte Dei (1) perfectiſſima ejus natura ſibi vendicat. Si enim aliquid in minima etiam operatione concipiatur à ſe, procul dubio omnimoda Dei Independentia tollitur; plura verò independentia concipere velle implicat. (2) Si evenire quicquam concipi poſſit à creatura independenter à Deo, Decretum, Præſcientia, Omniſcientia & plurimæ aliæ Perfectiones tolluntur, quo ipſo Mens Perfectiſſima minime eſſet perfectiſſima; hoc ipſum enim perfectione ſuperaret Deum, adeoque illud foret perfectiſſimum. Ipſam (3) Concurſus naturam ſi attendamus, ille itidem cum Decreto, Creatione & Conſervatione indiſſolubili nexu eſt conjunctus, & ab iisdem non niſi ſola ratione diſtinctus: Eadem enim eſt Voluntatis actio, quâ Eſſe, exiſtere & operari Creaturarum vult, quemadmodum ex præcedentibus facili opera elici atque demonſtrari poteſt. (b) Ipſas res extra Deum ſi conſideremus illarumque operationes, (1) facile quivis largietur modum operandi ſequi modum eſſendi, effectus enim non poteſt concipi realitate ſuperare virtutem ſeu perfectionem ſuæ cauſæ; id verò, quod in eſſentia, exiſtentia, exiſtentia ulteriori dependet aliunde, id in ſua Operatione non poteſt concipi ut Independens. Verùm attendamus

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

damus ſpecialius & quidem [α] motum in rebus materialibus, [ſi quidem rectè actionis nomine deſignetur;] hunc quidem eſſe aliquid reale, nemo inficiabitur, ille verò exactiſſime ſecundum ſtatas naturæ leges eſt compoſitus, aſt illum res ipſas ex ſua natura [non enim eſt de eſſentia rei materialis motus, multo minus hic vel alius, ita vel aliter determinatus] nec producere nec cognoſcere poſſe, cum nullam habeant conſcientiam, ipſa illarum natura docet; Produci adeoque hæc aliunde debent. Cum verò materialium rerum effectus ad rationem ita ſint compoſiti, à Ratione quoque illos originem ducere neceſſe eſt. Mentibus finitis verò talis vis tribui nequit. Agunt quidem illæ in corpus proprium, quod proxime cum iis conjunctum eſt, verùm quâ ratione ad Voluntatem ſuam motus in corpore proprio excitetur, ignorant, nec ipſos illos pro lubitu & ſemper quoties volunt excitare valent. Mens ſola voluntate ſua etiam non agere poteſt in alia corpora, etiamſi enim quis millies velit vel minimum pulviſculum ſtipula levius loco moveri, non tamen id locum inde mutabit. Per corpus ſuum agit quidem etiam in alia corpora externa, verùm nec hoc à ſolo Voluntatis ſuæ imperio dependet, attendendæ enim probè ſunt leges naturæ quæ non à ſe, ſed ab auctore Naturæ conſtitutæ atque poſitæ ſunt, quas ultra ſeſe ſuasque vires, etiamſi quàm enixiſſimè conetur, extendere nequit. Tacemus plurimos effectus, ad quos mens finita meritò ſtupet, qui proinde ab illa produci nequeunt. Supereſt itaque produci determinarique hæc omnia à cauſa Sapientiſſima & Potentiſſima, quæ ſi ad momentum ceſſaret, omnis varietas, elegantia, ordo, nexus quæ omnia ex motu dependent, ſimul interirent. *Movet illa univerſam creaturam ſuam occulta providentia, dum circumeunt ſidera, dum alternant venti, dum abyſſius aquarum lapſibus & diverſis etiam per aerem conglobationibus agitatur,*

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

tur, dum vireta pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur varioque appetitu proprias vitas agunt, uti eleganter *Augustinus de Genesi. ad Lit. L. 1. cap. 20.*

[β] Rerum rationalium Esse consistit in τῷ cogitare quod apud omnes rectè sentientes est in confesso. Cogitant verò illæ intervenientibus Ideis, quarum saltem primariæ extra dubitationem mentibus omnium sunt insculptæ & à Deo auctore dependent; habent itaque sese passivè. Cogitant verò convenienter suæ naturæ uno tempore tantum de uno vel altero objecto, alio de reliquis: Quamvis autem è natura intellectus sit, aliquo semper ad cogitandum indigere objecto, nulla tamen necessitas est in natura ejusdem, ut jam præcisè hoc, alio tempore aliud cogitet. Determinatio ergò illa à causa aliqua dependebit, quæ excitat distinctos illos de rebus cogitandi modos, mentemque hoc tempore ita, alio tempore aliter cogitare facit. Non verò ipsæ mentes A se & sua natura diversas diverso tempore ideas excitare possunt; Aliàs enim omni tempore omnes excitarent, quoniam quod ad naturam alicujus rei pertinet, semper ei in totum adesse debet. Neque specialius Voluntas; Ita enim nunquam vel plane alia cogitantibus nobis vel etiam invitis excitarentur, & ipsarum rerum, quas variæ illæ ideæ repræsentant, varia natura à Voluntatis profecta esse deberet arbitrio. Multo minus denique objecta aut sensus motusque corporei, quoniam non est ex illorum natura, ut hoc præcisè & non alio tempore occurrant, hos verò inter & mentem nullus necessarius nexus. Superest itaque ut ad Causam primam adsurgamus, quæ ideas vel ἀμέσως vel per objecta sensuumque ac corporis motuum ministerium in intellectu excitat. Secundum illas verò cogitationum formas pro magis vel minus clara & distincta perceptione in dijudicatione veri & falsi, amore & fuga boni vel mali, spontanee Voluntas unum eligit,

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

git, alterum rejicit; Quæ determinatio Voluntatis per *Intellectum* non repugnat ejus Libertati, sed quo magis determinatur, eò magis libere vult. Cùm itaque Voluntas pendeat ab Intellectu, ideæ verò à Deo, procul dubio etiam omne operari nostrum secundum illas ab eadem Causa prima, quoniam indissolubili nexu cohærent, dependebit.

Modum omnem Potentissimæ hujus Operationis Divinæ creaturæ finitæ non est plene atque adæquate comprehendere; ne tamen creatura concipiatur in ulla realitate vel operatione vel in totum vel in tantum Independens, Deus verò ab iisdem Dependens, cogitandum nobis hoc modo est Deum excitando Ideas concurrere cum [a] Intellectus operationibus ℵ tanquam causam moralem prævium ac determinantem, quia has præcise, non alias excitat ideas, quas intellectus contemplando ita operatur, non aliter. ב tanquam causam simultaneam, hyperphysicam & cooperantem, quia illas ipsas Intellectus operationes operatur seu producit & existere facit. Cum [b] Voluntatis verò operationibus [α] ut causam moralem, prævium & determinantem, quia ante, quàm Voluntas vult, eam ad hoc & non alio modo volendum commovet ac determinat: Quo fine tales ideas, in Intellectu excitat, tales *κυρίας δόξας* cum iis conjunctas esse monstrat, perque eas ratiocinandi facultatem talibus instruit ratiociniis, quæ Voluntatem ad ita, ut Ipse vult, volendum permovere apta nata sunt: [β] Ut causam simultaneam, hyperphysicam & cooperantem, quia iis, qui tum sequuntur, Voluntatis actibus suum esse & existere largitur. Quod adeoque divinis perfectionibus tribui omnino debet, & quod conscientia propria & experientia quotidiana testibus non invenitur in ipsis rebus, id causæ infinitæ etiam non est derogandum, i. q. c. d.

§. XII.

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

§. XII.

(C) Tertius divinæ Providentiæ actus est Gubernatio, quæ nihil est aliud, quàm *efficacissima illa divinæ Voluntatis actio, qua omnia, quæ in toto universo secundum consilium beneplaciti sui eveniunt, sapientissime regit & dirigit, atque ad finem se decentem sibique gloriosum, hoc est, virtutum suarum manifestationem efficacissime deducit.* Non tantum enim omnia à Deo & per Deum sunt, sed & ad Deum esse debent.

§. XIII.

Gubernatio illa vel est [a] Communis, qua DEUS per certas naturæ leges omnia simili modo movet atque regit, secundum quas varius, mirabilis, & distinctus effectus in ipsis rebus animadvertitur; Quo etiam referri solet instinctus naturalis in brutis; vel [b] specialis, qua Deus res rationales convenienter illarum naturis morali modo regit, præscribendo ipsis leges, easdemque promissionibus & minis, præmiis atque pœnis sancit; Unde fœdus naturæ inter Deum & creaturas rationales fluit.

§. XIV.

Atque illa demonstratur tum ex (α) natura DEI. Mens perfectissima est ἀνενδεης, quæcunque adeoque agit ad extra, ea ex nulla necessitate naturæ agit; intercedat itaque consilium beneplaciti Divini oportet: quo interveniente rerum extra Deum cum suis facultatibus atque modis futuritiones decernuntur & cum tempore producuntur. In illis verò non potest non convenienter divinæ naturæ concipi & elucere summa Dei Sapientia & Sanctitas. Quicquid adeoque agit, ad certum finem, quod ne quidem sapiens inter mortales intermittit, dirigit, qui cùm convenienter suæ sanctitati non alius sit, quàm plenitudinis divitiarum suarum manifestatio, omnia etiam ad eundem ab eodem, quamvis

non

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

non ſemper & ſtatim omnes fines particulares aſſequi valeamus, efficaciſſime diriguntur. Ejus itaque, cujus eſt decernere, creare, conſervare, cooperari & in his omnibus finem certum ſibi proponere, Ejus quoque & Solius eſt ad eundem præſtitutum & definitum finem omnia omnino, cum ſapientiſſime velit & Solus poſſit, etiam dirigere, niſi ſummam DEI Sapientiam, Potentiam, Sanctitatem improbo ore velimus inficiari. Tum (β) ex natura rerum finitarum. א (1) Res materiales finem ſuum attingunt per motum, jam verò, ut ſupra viſum, motus non eſt de illarum eſſentia, eſt enim extrinſecus & adventitius; Ergo nec propria vi fines ſuos attingere valent. Quod nullo modo ſe movere pot. eſt, quomodo per hunc vel alium motum, ita vel aliter determinatum ad finem ſibi præſtitutum pervenire poteſt? (2) Res materiales nec leges naturæ, ſecundum quas aguntur, nec finem, ad quem tendunt, intelligunt nec cognoſcunt, nec ipſas ſeſe ita collocârunt, ut cauſarum, mediorum, effectuum, finium, antecedentium aut conſequentium rationem habere poſſint. Neque id finitis aliis (3) Rationalibus tribui poteſt, cùm illi potiùs ad mirandos naturæ effectus obſtupeſcant & pauciſſimos illorum habeant exploratos, quorum cognitio exactiſſima tamen maxime eſſet neceſſaria; Ut taceam, à Voluntate quoque mentium finitarum, qua Voluntate, motum vel minimi etiam pulviſculi minime dependere, nec etiam fines, ad quos diriguntur & perducuntur Res materiales, ſemper & omnino Voluntati hominum convenire atque reſpondere; Adeo ut, ſi gubernationem rerum hujus univerſi accuratius intueamur, videamus eam Cauſam efflagitare non tantum ſumme Sapientem, ſed & Potentem. ב Res Rationales convenienter ſuæ naturæ ſemper quidem finem intendunt, unde verò eſt, quòd hoc valeant; Quis tales Ideas excitat, quis ratiocinandi facultatem talibus per

 axiomata

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

axiomata communia & natura nota instruit argumentis atque ratiociniis, ut magis ad hos, quàm ad alios fines propendere se sentiant? nec etiam mentes eundem semper, quem sibi proponunt aut appetunt naturali desiderio, assequuntur finem. Quàm multa hic præter intentionem & opinionem accidunt, quàm rarò ea, quæ intenderamus atque apud animum nostrum constitueramus, consequimur? Imo quoties non ad ulteriores fines nobis non præstitutos nec cognitos, non solum præter, sed & contra Voluntatem nostram dirigimur? Unde verò hæc? *homo* sc. *proponit*, *Deus disponit*. Causa adeoque superior alia latet, cujus interveniente Sapientia, Potentia, Cura atque sollicitudine certum tamen finem assequuntur & ad finem Universalem, tanquam centrum omnium divinorum moliminum diriguntur. Gubernationis hujus divinæ per omnes temporum differentias tum singulorum, tum societatum, præcipue verò viarum & gressuum Dei inter populum suum exempla non subjicimus, cùm hæc illis, qui à limine saltem historiam vel sacram vel profanam salutarunt, orbisque & Ecclesiæ fata inspexerunt, notiora esse, quàm ut ignorari queant, existimemus. Cùm itaque Gubernatio sit necessaria, quia nihil sine Rectore potest consistere, cùm Deum deceat, cùm res præter Deum ea indigeant, illius honor & laus Eidem quoque est ferenda; i.q.e.d.

§. XV.

III. Ex prioribus jam certa ratione constare arbitramur omnes omnino res, quæ præter Deum existunt, rationales æque ac materiales cum omnibus suis facultatibus & modis sive durent, sive operentur, sive ad certos fines dirigantur, Providentiæ Divinæ subesse, sic ut supersedere possemus de Objectis Providentiæ Divinæ peculiarem tractationem instituere. Quoniam tamen omnium fere temporum

ætas

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

xtas istiusmodi monstra protulit, quæ Providentiam DE vel plane negarunt, vel saltem istiusmodi homines, qui minu recte de Objectis ejusdem (tribuendo illis vel plus vel minus, quàm decebat) senserunt, Veritatem hanc ulterius confirmare juvabit, quem in finem Objecta ejusdem peculiari examini subjiciemus, ut pernoscamus, quid de illis sana ratio doceat. Servabimus verò hunc ordinem, ut objecta ratione suæ (1) Realitatis, (2) Eventus, (3) Qualitatis seorsim spectemus, & ad Adversariorum objectiones simul primos solutionum fontes, qua fieri poterit, brevitate & perspicuitate indicemus.

§. XVI.

(A) Ratione Realitatis Divinæ Providentiæ subsunt minima æque ac maxima. Eadem enim (1) eorundem est ratio, nec quicquam in rerum natura Independens concipi præter Deum potest (2) æque Divina Virtus ad pulviscu-lum, ac ad vastæ molis corpus ex nihilo producendum requiritur. Si igitur minima æque ac maxima ad sui Productionem divina virtute indigent, quidni & ad sui Conservationem, cùm Creatio & Conservatio reapse sint unum & idem? uti supra §. VIII. vidimus. (3) Si minima à DEO solummodo creata essent, per se verò absque Provida Numinis Cura subsisterent, maximis essent majora (4) quò res vilior & magis abjecta, eò minus per se subsistere potest, eòque magis adjutorio indiget (5) Experientia testatur à minimis quandoque pendere maxima (6) minutissima quoque tanquam media ad suos fines creata, ergo etiam diriguntur (7) quæ nobis minima ex cognitionis nostræ defectu videbantur, non semper sunt talia, sed quandoque maximis inserviunt, uti ex rerum mundi patet annalibus. (8) In minimis etiam ut maximis maxime conspicuæ sunt summa Dei Sapientia & Potentia. Elegantet *Augustinus de Genesi ad*

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

Literam. Nesciunt an plus debeant admirari dentes apri, an timeæ, alas aquilæ an gryphis, caput equi an locustæ, crura elephanti an culicis, aquilam an formicam, leonem an pulicem, tygrim an testudinem. conf. *Idem Enarrat. in Ps. CXLVIII.* & *Plinius Hist. Nat. lib. XI. c. 2.* Recte alius: *Natura in minimis est maxima, & eò plus habent admirationis, quæ minimum molis.*

§. XVII.

Pessime itaque post Veterum nonnullos *Vorstius, Hobbesius* aliique *sublunarium individuorum & minimorum* curam Deo subtrahere improbo ausu sunt conati; (1) *fatuam* existimantes *esse adulationem Divinæ Providentiæ omnia omninò subjicere*, subverentes, (2) *Divinam Majestatem vilium illarum rerum cura maculari & tam tristi ministerio pollui* aut (3) *plus nimium saltem inde fatigari*, & nescio quæ non alia comminiscentes. Ad (1) respondemus, Deum adulatione nostra non indigere, neque Deo plus à nobis tribui, quàm quod clare & distincte percipimus cum Perfectissima ejus natura convenire, quod proinde etiam agnoscere nostri officii ratio postulat. Fatuum potius est, Deum otiosum atque inertem fingere aut concipere ad gubernacula mundi sedere, magisque adulationem sapit Deum hac cura liberare velle, quam tamen per Sanctitatem suam nec vult nec potest abjicere. Ad (2) respondeat pro nobis *Nemesius* contra ejusdem farinæ homines agens *in libro de Natura Hominis* c. 44. ex versione Nic. Ellebod. *Quod si, cùm radii solares vim habeant attrahendi humorem omnem, negant inquinari solem, ejusque radios, cùm cæno lucem inferunt, sed integros & ab omni sorde puros manere dicunt, quomodo Deum rebus humanis profanari existimant? Non sunt hæc hominum dogmata, qui DEI naturam perspectam habent; Nam in Deum neque tactio, neque interitus, neque macula,*

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

macula, neque commutatio ulla poteſt cadere; Inquinatio autem & omnia generis illius ad mutationem pertinent. Ad (3) Neque etiam defatigatio, cùm & hæc mutationem inferat & vires ejus exhaurire debeat, in Deum cadit, qui viribus infinitus atque inexhauſtus eſt. Omnia Deus agit ſola Omnipotentis ſuæ Voluntatis juſſione. Huic verò neque actionum multitudo plus neque paucitas minus negotii faceſſit. Non enim, ſi DEUS *plura vult, pluries* quoque *vult*, ſed ſimul ac ſemel unico ac ſimpliciſſimo Voluntatis actu omnia. Non enim inſtar terreni Regis DEUS noſter concipiendus eſt, qui, dum aliis occupatur negotiis, alia tenetur ſeponere; Non agit virium intentione, ſed mero Voluntatis ſuæ nutu; movet omnia ſine labore, curam gerit ſine ſollicitudine, impellit omnia ſine contactu, attingit omnia ſine appropinquatione. Πρῶτον ψεῦδος hominum ita ſentientium eſt, quod ad decempedam tenellarum ſuarum & imperfectarum virium ſummas DEI & infinitas perfectiones dimetiantur, cùm, ſi recte vellent hic ſubducere, ad ideam perfectiſſimi imperfectum, non verò ad ideam imperfecti perfectiſſimum commenſurari oportuiſſet.

§. XVIII.

(B) Ratione eventus alia ſunt Contingentia, alia verò Neceſſaria, alia Libera. Neceſſitas in rebus notat rem non poſſe non eſſe, aut non poſſe ſe habere aliter. Effectus neceſſarii dicuntur illi, quorum neceſſitas oritur vel ex rerum naturis ſive principiis internis, vel à cauſis externis. Contingentia in rebus deſignat rem poſſe non eſſe, ſeu poſſe ſe habere aliter; Effectus contingentes dicuntur illi, qui non ſunt neceſſarii, ſed ante quàm fiunt ſeu reſpectu noſtri fieri vel non fieri poſſunt. Si res rerumve effectus ante decretum Dei conſideremus, obveniunt nobis ut contingentes, ut poſſibiles. Si verò res rerumve varios pro ſua natura effectus

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

obſervemus poſt decretum DEI, per quod res ſunt, quod ſunt, nihil eſt reſpectu Dei contingens, ſed res omnes cum ſuis effectibus ſunt vel futuræ vel non futuræ; ſi futuræ, neceſſariæ non quidem ex ſe aut neceſſitate aliqua abſoluta ſed hypothetica, ex hypotheſi ſc. divinæ Voluntatis ejusdemque beneplaciti, neceſſitate conſequentiæ. Contingentia itaque, ſecundum quam res ante, quàm fiunt, vel fieri vel non fieri, vel ita vel aliter fieri poſſe à nobis concipiuntur, conſiderari debet (1) cum relatione ad nos; qui vel ignoramus, antequam fiunt, rerum eventus, & cauſarum variam & diverſimodam conjunctionem, rationem, ordinem, modum, fines. Sic verbi gratia Cauſa occulta nobis eſt, quæ efficit ut certo quodam tempore ex tecto tegula decidat, ſive illa ſit, ventus vehemens ſive vetuſtas coagulationis tegulæ per calcem, ſive verò ambo hæc ſimul concurrant; & ut eodem tempore homo aliquis proprio motus arbitrio ita ſit collocatus, ut tegula decidens transverberare poſſit caput vulnere lethali, quæ ſanè cauſæ quandocunque omnes eodem modo occurrunt, homo neceſſario occiditur: at quia ſæpe tegulæ decidunt, dum homo aliquis vel non præterit, vel non iſtiusmodi ſitu præterit, judicatur contingenter fieri ut homo iſte occidatur. Atque ita de aliis, unde omnes effectus tales vel Caſuales vel Fortuiti nobis videntur (2) vel etiam quando per finitudinem atque imperfectionem noſtram deficimus intentione noſtra, quæ tamen omnia in decreto & conſilio Dei latent & ab eodem quoque fixa ſunt & τεταγμένα.

§. XIX.

Illos verò omnes effectus ita conſideratos Divinæ Providentiæ ſubduci non poſſe demonſtramus (1) quod radix omnis contingentiæ in decreto DEI, non verò in cauſis ſecundis ſit quærenda, nihilque adeo Independens ab eodem con-

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

concipi possit. *Voluntas DEI est necessitas rerum*, (2) si decreverit ab æterno, in tempore etiam exsequitur, nulla enim ratio inveniri potest, quare Deus ab eodem recedere vel vellet vel cogeretur (3) si quicquam, etiam minimum, in sua Essentia, Existentia, Operatione concipiatur Independens, procul dubio ab eodem Deus foret dependens, & sic ex Creatore fieret creatura, & ex creatura Creator, quod summis Dei perfectionibus & experientiæ prædictionum certarum de contingentibus è diametro repugnat.

§. XX.

Quamvis hac ratione respectu Dei omnia vel sint futura vel non futura, adeoque rebus ipsis aliqua imponatur necessitas, ut non possint non evenire, tamen non exinde (1) omnis omnino Contingentia tollitur, fatalisque omnium rerum introducitur necessitas, quemadmodum inter Veteres nonnulli diversimode somniârunt, de quibus *Vossius de Idol. & Lipsius lib. 1. de Const.* aliique consuli possunt. Agit enim m iis omnibus Deus pro summa sua Sapientia & Potentia convenienter naturis rerum, quas ipsis in creatione dedit, illas non mutat, non tollit, sed potius confirmat. Deus itaque Providentia sua universali rebus nullam infert vim, sed vult & sinit eas agere & moveri ex sua quamque natura sive necessariò sive contingenter. Unde etiam, quæ necessaria ex duplici necessitate, altera respectu DEI, altera respectu rerum ipsarum, *Necessaria*, quæ verò necessaria tantum à parte Causæ primæ, contingentia verò respectu nostrum, *Contingentia* à causis secundis denominari solent, illisque effectus tribui debent. *Augustinus lib. VII. c. 30. de Bonitate Dei*; Idem *de Civitate Dei lib. V. c. 9.* (2) aut mediorum usus, quem ad hunc vel alium finem assequendum conducere rationaliter existimamus, excluditur; Deus enim media simul ordinavit; Media adeoque sunt conditio nec sine usu mediorum

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

rum obtinebitur finis quæ voluntas DEI æque respicit. Divinum decretum, quod primus est in catena annulus, à quo reliqui omnes dependent, causas omnes secundas & omnia media simul ordinavit & disposuit. Mediorum itaque usus ab eo pendet, non è contra decretum tanquam dependens ab usu mediorum est concipiendum. Decretum hoc dum spectavit finem, ordinavit simul media ad eum consequendum necessaria. Non usus mediorum causa fuit decreti, sed decretum est causa usus mediorum. Ita autem illud est de fine, ut etiam sit de mediis, quæ omnia in decreto divino simul continentur: Sicut igitur necessario posita Voluntate Dei de fine, iste finis obtinebitur, ita etiam posita Voluntate de mediis, ista media etiam necessario tanquam conditio rei decretæ, non ipsius decreti, quæ implenda omninò erit, adhibebuntur. Creaturæ ergò Rationalis officium est, hæc media necessario & simul spontanee adhibere eademque grata mente amplecti, Dei verò benedictionem supplici prece expetere, humilique animo exspectare.

§. XXI.

Quod attinet Liberas Creaturarum Rationalium actiones, quid liberum arbitrium & quòd sit, fusius exponere temporis vetat angustia: Consulat, qui volet, solidissimam Reverendi *Kirchmajeri de Libero Arbitrio* dissertationem. Expositionis loco hac vice sit, veram illius indolem consistere in *Spontaneitate* ac *Lubentia*; Demonstrationis loco internum testimonium, quod neminem, qui attendit, fugere potest. Conferatur c. l. *Augustinus de Libero Arbitrio cap. 3.* Quòd verò & hæ Providentiæ Divinæ submitti debeant, ex iis, quæ §. XI. fusius exposuimus, facile est colligere, quæ nolumus repetere. Verùm, anne per Providentiam vis infertur libertati ejusque natura rollitur? Minime Gentium. Propter Providentiam non tollitur Liberum Arbi-

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

Arbitrium, nec propter Liberum Arbitrium Providentia. Deus, uti in omnibus, ita hic quoque Sapientissime & Potentissime agit, convenienter naturæ Liberi Arbitrii, ut agat quidem certò, sed tamen simul liberè, sua sponte, ex interno principio. Cujusmodi Libertas non pugnat cum necessitate dependentiæ. Vult quidem DEUS ea fieri, sed simul Vult fieri libere, ita ut id, quod velit, sit in agentis potestate, illeque maneat ignarus influentiæ divinæ. Quin imò, quò magis efficaciter Deus operatur in voluntatem nostram, eò magis libere homo vult. Unde etiam actiones tales Liberæ à causis secundis, quoniam proximè ab *iis* procedunt, & *formaliter* illarum sunt, denominantur, & iisdem meritò adscribuntur, quæ inde etiam si recte, si secus sint institutæ, vel præmium vel pœnam merentur.

§. XXII.

Arduum quidem & difficile agnoscimus Necessitatem à parte Dei, Libertatem verò à parte hominis ut Creaturæ Rationalis conciliare in omnibus, omnemque illius modum omnino penetrare velle; Quod ab omni tempore summis etiam viris ansam dedit varie & diversimode sentiendi, aliis hic Deo derogantibus, aliis Creaturis, aliis in contraria omnia euntibus, aliis varios & diversos conciliationis modos, per *præscientiam*, *permissionem*, *concursum generalem*, *scientiam mediam* &c. ad solvendum hunc nodum proponentibus. Tutissima nobis videtur via, si hîc infirmitatem intellectus nostri sine pudore confiteamur, & binas has veritates, quarum alteram de *omnimoda omnis realitatis dependentia* in præcedentibus satis adstruximus, alteram verò de Creaturæ Rationalis libertate ad agendum cum intima conscientia cognitam & exploratam habemus, non inter se committamus, cum non attingere valeamus Terminos, quibus sibi mutuò junctæ sint. Cogitandum enim est nos esse finitos, nec omnem

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

modum perfectissimarum divinæ Mentis operationum percipere posse, *Sapientiæque humanæ*, teste *Scaligero*, *partem esse*, *quædam æquo animo nescire velle*. Multum tamen hic juvabit pluresque difficultates disparebunt, si firmiter teneamus. (1) Liberum arbitrium non consistere in indifferentia ad utrumque oppositorum, sed in Spontaneitate, in oppositione ad coactionem. (2) Propter solam independentiam DEI Deum & velle & Libere velle in nobis operari. Quorum negationes vel detorsiones πρωτα ψευδη constituunt hominum hic à Veritate plus vel minùs recedentium.

§. XXIII.

Restant C. actiones Creaturarum Rationalium, quæ ratione Qualitatis Bonæ vel Malæ sunt, examinandæ. Bonæ in genere morum sunt illæ, quæ cum Vol Divina & lege illam manifestante, tanquam regula veri & recti conveniunt. Malæ è contra, quæ ab eadem dissentiunt, recedunt. quæ abea tanquam norma deficiunt. Utræque divinæ Provid. subtrahi nequeunt. Non enim potest concipi illas fieri DEO vel ignorante vel negligente vel nolente permittere. Quæ cum Dei Sapientia, Potentia, Sanctitate, & Independentia, rerum verò omnium extra Deum existentium cum omnibus suis attributis, facultatibus, modis, qualitatibus, affectionibus dependentia totali, superius à nobis demonstrata & asserta pugnarent.

§. XXIV.

Ad modum verò quo actiones, præsertim verò malæ Div. Prov. subsunt, ne hic vel in excessu, tribuendo Deo peccati causalitatem, vel in defectu, tribuendo DEO otiosam permissionem, quorum, prius justitiæ & Sanctitatidivinæ, posterius verò Providentiæ Divinæ adversatur, peccemus, sequentia notare operæ pretium erit (1) sine voluntate DEI nihil quicquam existere posse. (2) Peccatum esse in mundo (3) Deum

non

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

non posse esse peccati auctorem, quia summe perfectus, peccatum autem imperfectio. (4) Hominem non minus moraliter quam physice dependere, unde sub obligatione. Lex divina enim nihil relinquit arbitrio hominum. (5) In actione omni debere distingui actionem ipsam actionisque rectitudinem vel vitiositatem. (6) Id quod in actione est reale & positivum, causâ tam primâ quàm secunda indigere, adeoque hoc ipsum in se & sua natura consideratum non posse non esse bonum & dependens. (7) Vitiositatem verò adhærentem esse non ens, ανομιαν, αταξιαν. privationem rectitudinis, quæ adesse debebat actioni, quæ proprie non causam efficientem sed deficientem supponit, quod si enim peccatum quâ tale, res foret positiva, peccari non posset omittendo. (8) Illam verò Creaturæ Rat. tribuendam sub lege constitutæ, illamque rectitudinem negligenti: Unde noster defectus, nostrum malum, nostra culpa, quia formaliter est nostra actio atque inde peccata Commissionis æque ac omissionis existunt. Commissionis, ubi actio adest, sed deest actioni bonitas & rectitudo legi consentanea Omissionis, ubi deest actio quam tamen Lex Creat. Rat. injungebat atque ab eadem summo jure flagitabat, quam creatura spernit, dominiumque, quod supremo Domino conveniebat rebelli & refractario modo in se transfert & non Deum Deique Voluntatem sed suam tanquam normam suarum actionum constituit, à qua vitiositate adhærente vitiosa & mala dicitur. (9) Hujus verò DEUM non esse causam vel physicam vel moralem, sed illam tantum permittere. Aliud est *malum* velle aliud *malè* velle, aliud *velle* malum *facere*, aliud velle *fieri*. *Aug. in Enchirid.* c. 15. *Non aliquid fit, nisi omnipotens fieri velit vel sinendo ut fiat vel ipse faciendo*: (10) Illam permissionem verò non moraliter vel negative esse concipiendam, ita ut Deus non velit impedire sed physice & positive ita ut DEUS

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

velit non impedire; (11) Ad rectitudinem illam Legi consentaneam præstandam DEUM non teneri. Lex siquidem Creaturæ scripta Deum non obligat, ita ut actiones hominis, quæ in Legem DEI incurrunt respectu DEI quem Lex non cogit, non sint peccatum, respectu verò hominis quem Lex cogit, reverâ sint peccatum. Deum itaque sese habere circa illud *negativè*, hominem verò *privativè*. (12) Deum etiam de malo posse benè facere nec quicquam mali permittere, de quo non verè bene faciat, ordinando, dirigendo, & ad fines suos sanctissime simul & potentissime deducendo. *Augustinus Enchirid. 100. Non sineret Bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.* Idem L. de *Corrupt. & Grat. c. 10. Scivit Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatem facere, de malis bona facere, quàm mala esse non sinere.* His positis ultimo loco asserimus versari omnino Prov. DEI circa peccatum, & quidem ita ut concipiamus antequam perpetratur, idem divinâ lege vetari & nihilominus idem illæsa sanctitate & justitia divina evenire permitti, permissione non otiosâ sed activâ: quando perpetratur creaturam alioquin ad nihilum relabentem cum suis facultatibus & modis sustentari, actum peccato substratum à causa prima produci, neque tamen de malitia adhærente ullo modo participare, sapienter porrò & potenter dirigi & quidem ut plurimum aliter, quàm destinaverat peccator: denique peccato ratione temporis modi &c. terminum limitemque poni & constitui. Quâ ratione hæc permissio divina in relatione ad diversum hominis statum rectitudinis, corruptionis & gratiæ eadem sit sancta & justa, Dei perfectionibus conveniens hominisque diverso statui accommodata plenius ex SS. Revelatione Theologi docent & confirmant, quod plenius exponere jam quidem fori nostri non est.

§. XXV.

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

§. XXV.

Ex quibus ita assertis aliquam quidem lucem difficillimo huic negocio affulsuram arbitramur, simul tamen iterum intellectus nostri angustiam [& imperfectionem, per quam omnem modum divinæ Operationis non satis exploratum & perspectum pro ratione nostræ finitudinis tenemus, agnoscimus & confitemur, ita ut ad omnes difficultates ratione modi non valeamus respondere, cum pro æternis veritatibus habeamus, Deum solum ratione suæ essentiæ & operationis esse Infinitum: Res verò præter Deum existentes, ratione utriusque esse finitas & dependentes. Nec mirum si finitum non possit comprehendere profunditates infiniti aut si eò dementiæ procedat, ut tentet aut velit, in plurimos errores atque difficultates, ubi nullus exitus, quemadmodum experientia proh dolor satis abunde testatur, incidat. Ex iisdem etiam liquere arbitramur, quâ ratione multi homines malitiosè magis quam solide ex doctrina nostrâ sequi contendant DEUM esse auctorem atque causam peccati, quod toto corde abominamur & Thesi 3 §. præc. negavimus. Ad quod notamus: Proprie mali seu peccati nullam causam efficientem quæri debere aut inveniri posse quod constat Thesi 7. § præc. Unde Augustinus L. 12. de Civ. DEI. *Nemo ergo quærat causam efficientem malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio, deficere namque ab eo quod summe est ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porrò defectionum istarum, cum efficientes non sint sed deficientes, invenire velle tale est, ac si quisquam velit videre tenebras vel audire silentium, quod tamen utrumque nobis notum est.* Improprie verò si quæramus causam, causa vel auctor peccati non potest ullo sensu intelligibili adpellari nisi vel is, qui à divina lege sibi præscripta & cui eo ipso quod

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

existit, est subjectus, deviat, vel qui ista deviatione delectatus quicquid potest confert ut Creat. Rationalis ab ista divinâ lege deflectat, eam vel rationibus & argumentis ad id inducendo, vel promissis & minis eò compellendo Utrumque verò in Deum cadere non potest. Nec etiam ille qui non efficit peccatum aut producit in creatutâ peccante, nec inspirat aut instillat peccatori peccatum, neque mandat illud aut adjuvat aut amat aut adprobat, sed serio prohibet atque punit, aut qui naturam peccantem conservat atque gubernat, ciet atque excitat in peccatore motus & actiones naturales internas & externas, ad actionum realitatem concurrit, permittit ipsum peccatum quâ peccatum, nec illud quod non impedire tenetur, impedit, idemque sanctè ordinat & regit ut per illud judicia sua exerceat atque exsequatur, pro causa atque auctore peccati potest haberi. Manet adeoque verum Deum non esse auctorem peccati, cum sit summa perfectio. Manet verum Providentiam DEI circa peccatum esse efficacem cum nihil præter Deum existat independens. Et etiamsi nobis difficile imò impossibile sit veritates hasce secum invicem conciliare modumque omnem penetrare, non tamen propter id quod obscurum est, negari debet id quod clarum est & omnium conscientiæ sese commendat. Concludimus verbis *Thomæ de Bradwardina L. 1. de Causa Dei C: 1. Coroll. XXXII. Erubesce Philosophe & scientiâ superbiens dedignare tam parvum Deum habere, ut tu parvus per parvam mentem tuam ipsum totum scruteris, omnia ejus secreta rimeris, capias & cognoscas plenariè ipsum totum. Deus namque sicut est infinitæ entitatis, ita & infinitæ veritatis & cognoscibilitatis, quare à nullo finito per virtutem suam finitam plenè cognoscitur.*

§. XXVI.

IV. Atque ita brevissimis pro instituti nostri ratione.

tum

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

tum quid, tum quòd Divina Providentia ſit, vidimus, & demonſtravimus. Reſtat, ut ea, quæ §. 2. promiſimus, exequamur. Imprimis verò doctrina noſtra ita aſſerta, demonſtrata & vindicata ſeſe quàm maximè commendat inde, quòd conſtituat fundamentum Religionis naturalis: Sine providentia enim nulla pietas, nulla ſanctitas, nulla religio conſiſtere poſſet. Graviſſima hanc in rem ſunt verba Magni Philoſophi *H. A. Roël Diſſert. de Relig Rat. Quod ſanè* [ſubintelligit dogma de Providentia Dei] *tanti eſt ad ſtabiliendam religionem rationalem momenti, ut eo ignorato aut negato vacillare eam aut ſubverti penitus neceſſe ſit. Quid eſt enim, cur* **DEUM** *hominibus colendum dicas, ſi non modò hominibus non conſulat, ſed omnino nihil curet, nihil neque egerit, neque agat, neque acturus ſit unquam? Quæ pietas ei debetur, à quo nihil acceperis vel ſperes boni? Aut quid omnino, cujus nullum meritum ſit, ei deberi poteſt? Quamobrem Epicurum, dum Providentiam, omnem quoque funditus religionem ſuſtuliſſe, nec manibus, ut Xerxes, ſed rationibus* [μηχανὰς, ἐπωδὰς καὶ λόγων βασάνους vocat Hierocles] *Deorum immortalium templa ac aras evertiſſe, meritò aſſerit Cotta.* Quid enim eſt, quod unicè religare & conligare magis poſſit res, quàm dependentia alterius ab altera? Quo arctior illa & firmior, eo arctius & firmius vinculum quoque intercedat, oportet. Totalem adeoque dependentiam phyſicam neceſſariò ſequitur dependentia Moralis. Is enim, qui ſummum hominis bonum eſt, eſt quoque ſimul ſummus ejus Dominus. Si verò ſummum Bonum, procul dubio etiam ut tale non tantùm cognoſci, ſed & æſtimari & amari vult. Si ſummus Dominus, eidem etiam ex ſua ὑπεροχῇ & ſuperioritate competit honor imperii, jus & dominium leges ferendi, homini verò ex ſua inferioritate & dependentia ſola obſequii gloria eſt relicta, adeo

ut ab

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

ut ab imperio Voluntatis ejus totus quantus humillima animi ſubmiſſione dependeat. Homo cùm ſit à DEO & per Deum, debet quoque eſſe ad Deum: quæ habet & poſſidet à Deo, debet quoque ad glorificationem DEI impendere. Hoc quippe convenit fini, quem Deus ſibi in productione rerum extra ſe propoſuit, quemque in perpetua mundi adminiſtratione Sanctiſſimè intendit, ad quem obtinendum quoque Creaturæ Rationales facultatibus talibus inſtructæ ſunt, ut Creatorem ſuum rectè cognoſcere, ritè æſtimare, & debite amare, venerari & celebrare poſſint. Quemadmodum itaque æquitatis ratio poſtulat, ut merita laus ac fructus operis redeat ad opificem, ita quoque æquiſſimum eſt, ut Creatura Rationalis totam ſe, omnesque ſuas vires atque facultates, totam vitam, omnes actiones in omni loco, tempore, ſtatu atque conditione Deo, ut abſoluto Domino in ſolidum conſecret, nihil faciat, niſi quod lege præſcriptum eſt, nihil intermittat, niſi quod lege prohibitum eſt. Hæc omnia Deus per ſanctiſſimum amorem ſuarum perfectionum, quas ipſe abnegare nequit, neque ab aliis impunè abnegari patitur, non poteſt non poſtulare atque exigere; homo verò, ſi felix atque beatus eſſe deſiderat, ejusdemque favore in æternum frui velit, non intermittere. Beneficia itaque, quæ in dependentia ſua phyſica à Deo largiſſimè ſingulis momentis accipit, totidem quoque ſunt religacula, quæ hominem ad Deum cognoſcendum, colendum, amandum, celebrandum, glorificandum non tantùm alliciunt, ſed & fortiſſimè impellunt, hominemque Deo in omnibus ſuis actionibus planè & totaliter devinciunt, ita ut, quousque ea, eò usque etiam hominis officia in diſtinctis relationibus ad Deum, Nos ipſos atque alias res ſeſe extendant, adeò ut tota vita hominis, ſi rectè inſtituatur, debeat eſſe viva quædam cognitionis, amoris, reverentiæ, cultus & obſequii divini imago.

§. XXVII.

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

§. XXVII.

Si itaque ſpecialius Providentiam Dei ſecundùm Conſervationem, Concurſum & Gubernationem in ſuperioribus à nobis conſideratam intueamur, quid magis Creaturæ Rationalis officio conveniens eſſe exiſtimamus, quàm operam adhibere, ut ſummas Dei perfectiones infinitam ejus Sapientiam, Potentiam, Bonitatem, Scientiam, Sanctitatem, Juſtitiam, Conſtantiam, Gloriam, in omnibus illis operibus elucentes rectè cognoſcamus, & ritè agnoſcamus atque debitè celebremus. Omne, quod habemus, quodque poſſidemus, quòd ſumus, quòd exiſtimus, quòd exiſtere pergimus, Dei munus eſt, nihil in his noſtræ potentiæ aut virtuti relictum eſt, ſed totum à mera liberalitate DEI dependet. Grates adeoque Deo pro beneficiis illis meritò ſunt ferendæ. Si Deus non eſt momentaneus Creator, ſed ea, quæ fecit, perpetuò fovet atque ſuſtentat, quid æquius eſt, quàm ut ſingulis momenris & perpetuò, dum ſpiramus, hæc dona agnoſcamus & gratitudinem noſtram animo, opere, dictis, factis exprimamus? Si operationes atque actiones noſtræ Providentiæ divinæ ſubſunt, quàm ſollicitè à nobis ſummi Numinis auxilium in omnibus omnino actionibus implorandum eſt? Si verò nihil eveniat, niſi quod evenire vel velit vel permittat, quàm cautos & attentos nos eſſe oportet, ne quicquam vel cogitemus, vel meditemur, quod Deo divinisque perfectionibus indignum, quodque naturis aliarum rerum repugnat, vel judicemus, vel decernamus, vel agamus, quod à voluntate divina, tanquam ſola & unica actionum noſtrarum regula atque norma diſcrepet, quodque ad gloriam divini nominis non tendat atque dirigatur? Animi affectus quoque, ſenſus & corporis motus imperio mentis ſubjectos ita cum ratione & judicio dirigamus, ut mens reddatur perfectior, & officia Deo & proximo in quacunque relatione intercedente tanto promptius & alacrius exhibeantur. Cum

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

aliis hominibus ſi vivamus, eosdem, quantum in nobis eſt, ad Deum cognoſcendum, amandum &c. excitemus, illorumque felicitatem, quantum in nobis eſt, ad majorem Dei gloriam promoveamus. Si divini muneris eſt, quòd operamur, operemur etiam non niſi in DEO, ad Deum. Si Deus nobis cooperatur, cooperemur & nos DEO, id eſt juxta cum eo gloriam ejus promoveamus. Uno verboomnes noſtras actiones comitetur Sanctitas, ita ut nihil agamus, niſi ex amore Dei. Si in gubernatione DEI ſummas Divinæ mentis perfectiones, Sapientiam, Decentiam Sanctitatem aliasque elucere animadvertimus, eadem, quantum fieri poteſt, imitemur: nihil agamus cœco impetu & fruſtra, omnes noſtras actiones ex ratione, cum ratione, ad & propter fines, omnes vero ultimo fini ſubordinandos inſtituamus. Si porro ea, quæ in poſterum nobis vel neceſſaria vel utilia, ab Eodem ſunt expectanda, quid magis nos decere debet, quàm eadem in omnibus neceſſitatibus ſubmiſſa mente humilique animo ſecundùm voluntatem Dei expetere, iisdemque cum gratiarum actione, ſed in eo ordine atque ad eos fines, quos Deus conſtituit, ad Dei gloriam uti? Si denique Providentiam Dei, ut Sapientiſſimam, ſuſpiciamus, ſi eandem, ut optumam, probemus, tuto etiam nos & ſecurè illi committamus, non ita ſemper cauſis ſecundis adhæreamus, ſed cauſam primam ſemper nobis ob oculos ponamus, eandemque irretortis oculis conſtanter intueamur, cujus voluntate omnia fiunt, quæ eveniunt, æquam ſemper & eandem, ſive in rebus ſecundis verſemur, ſive inter adverſa fluctuemur, ſervemus mentem, de futuris verò bonam ſpem concipiamus, perſuaſiſſimi Deum tales in agendo ſibi præſtituiſſe fines; talem conſtituiſſe & continuò ſervare ordinem, ut omnia exitum habeant, habituraque ſint Deo dignitſimum & glorioſiſſimum. Et ſi tali modo omnium ſuarum actionum rationem creatura Rationalis (loquimur verò de homine abſtractè

à corru-

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

à corruptione & impotentia naturali considerato, quod quivis etiam me non monente videt) instituit, potest sibi quoque firmissimè persuadere, Deum, qui vult quæri, eundem etiam à quærente se inveniri posse, Deum, qui se ipsum perfectissimè amat, sui amatores quoque redamaturum, eosdemque suo favore, amore & communione, in qua est omnis sufficientia sine omni indigentia, quæque sola Creaturæ Rationalis infinitum desiderium satiare, eandemque perficere & beatam reddere potest, in æternum complexurum.

§. XXVIII.

Veritatis superius à nobis assertæ minus rectè institutam pertractationem ansam dedisse varias & absurdas opiniones vel de Deo, vel de Providentiæ divinæ actibus, vel de modo illorum, vel denique de objectis ejusdem, variaque illorum indole & natura comminiscendi, proh! dolor experientia abundè testatur. Videas hinc Epicurum omnem Providentiam plenè sustulisse, Stoicos fatalem omnium necessitatem, discrimen omnium causarum tollendo, introduxisse, Platonicos verò atque Aristotelicos actiones singulares causarum liberarum Providentiæ divinæ eripuisse. Verùm illi errores inter homines verbo Dei externo carentes non solùm & tum temporis subsiterunt, sed & in Ecclesiam ab hæreticis sunt introducti & etiamnum à multis foventur. Quis enim ignorat Epicuri deliria olim à Simonianis, Carpocratianis, Gnosticis adoptata, nunc à Libertinis, Deistis aliisque hujus furfuris hominibus furiosè defendi? Stoicorum fatuum fatum post Manichæos veteres hodiernos Fanaticos impudenter asserere? Platonis atque Aristotelicorum dogmata, à Pelagianis & Semipelagianis antè defensa, à Pontificiis, Socinianis, Remonstrantibus, variè tamen & diversimode inter se dissidentibus in Ecclesiam iterum esse introducta atque revocata? Imo, quòd multi hîc errarunt circa Dei operationes in natura, id postea ansam dedit idem in operibus Dei circa gratiam sentiendi, quod

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research

deducere & demonſtrare non difficile foret. Ad illos itaque errores radicitus extirpandos & profligandos multum ſubſidii doctrina noſtra ita demonſtrata ex Theologia Naturali Theologiæ Revelatæ confert. Quo felicius verò priores ex ipſiſſimis rationis principiis errorum ſuorum convinci poſſunt & ad veritatis ſemitam reduci, eo majorem ſpem de poſterioribus quoque concipimus, cùm ea, quæ natura nos docuit, ex S. Scriptura pleniſſimè confirmentur, ita ut nulla ejus dubitatio cum ratione poſſit eſſe reliqua. Ea quoque, quæ §. §. præcedentibus de totali dependentia morali & officiis Creaturæ Rationalis ex ipſis naturis tum Dei, tum hominis elicuimus, talia ſunt, ut, ſi à Theologo præmittantur vel ſubſternantur, tanto majus ſtudium pietatis & reverentiæ ſummi Numinis in cordibus noſtris excitetur, ambulantibus verò in viis Domini calcar additur, ut intrepidè pergant, donec tandem decurſo vitæ hujus ſpacio coronam juſtitiæ, coronam vitæ immarceſſibilem reportent.

§. XXIX.

Quamvis verò doctrina hæc ita tradita ſummæ ſit utilitatis, non tamen eſt ad ſalutem ſufficiens. Laudem Gloriæ perfectionum divinarum hic quidem expoſitam cernimus, non verò laudem Gloriæ Gratiæ. Non enim docet voluntatem Dei Revelatam, & qua ratione peccator ſub iræ divinæ pondere gemens cum Deo irato iterum in gratiam redire poſſit. Docet quidem corruptionem, docet porrò hominem Deo non minus obligari fædere naturæ rupto & violato, docet quoque longanimitatem Dei quâ fert peccatores ſpem nobis facere de Gratia, ſed non docet quòd & quâ ratione fædus gratiæ ſuper ſanguine N. Teſtamenti fundatum, quæque Deus à nobis poſtulet, non docet bonum quod homini in novo hoc fædere proponitur, boni illius conferendi modum, Mediatorem, inſtrumentum illorumque omnium obſignationem. Docet quidem Providentiam Dei circa Univerſum, homines omnes in mundo, ſed non circa electos ex mundo, qui ſpecialius in favore & benevolentia Dei erga Se per obſignationem Spiritus *S.* confirmantur. Non tamen magis præjudicat utilitati Theologiæ Naturalis ejus inſufficientia quàm præjudicat aliarum ſcientiarum inſufficientia illarum utilitati. Soli interim & uni Deo, Optumo & Maximo ſit Laus, Honor & Gloria in omnem æternitatem.

Errata.

p.13.l.18. pulviſculum l, corpuſculum p.26.l.7. coactionem adde & neceſſitatem

Digitized by JUNIUS INSTITUTE for Digital Reformation Research